



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

VII. Licere imagines & facere, & habere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

& stercore foedatam, cum tamen ipse in cubiculo adoraret imaginem Wiclefi diademate coronatam.

Denique hoc nostro seculo primus, qui imagines è templis abstulit, Andreas Carolstadius fuit, anno M. D. XXII. teste Ioanne Cochlæo in vita Lutheri. Lutherus autem quamquam rem probaret, reprehendit tamen auctorem, ut ibidem Cochlæus dicit, quia, ut id faceret, non à se potestatem, & auctoritatem flagitauerat. Item Zwinglianos contra imagines pugnasse scribit Cochlæus in actis Lutheri anni M. D. XXVI. Philippus quoque in locis communibus explicans decalogum, reprehendit imaginum venerationem. Similiter Magdeburgenses Cent. 8. passim, sed præcipuè cap. 9. & 10.

Denique Ioannes Calvinus lib. 1. cap. 11. & lib. 4. cap. 9. §. 9. Instit. acerrimè imaginum cultum reprehendit. & Caluini-
stæ, vbicunque possunt, eas frangunt, vel comburunt, vel abradunt.

CAPVT VII.

Licere imagines & facere, & habere.

Is præmissis, ut ostendamus licere Christianis vsum imaginum, proponemus, & refutabimus varios, qui de hac re exstiterunt, errores.

Ac PRIMVS quidem est Iudeorum, qui quondam propensissimi erant ad idololatriam; at post Christi aduentum superstitionissimi sunt contra imagines. Dicunt enim iure diuino prohibitum esse imagines quaslibet efficere, teste Paulo Burgensi, addit. 2. ad Lyranũ super cap. 20. Exod. quod idem docent Wiclefistæ apud Waldensem tom. 3. tit. 19. c. 152. Ratio eorum est, quia Exod. 20. dicitur: *Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, &c.* Ceterum hic est error manifestus. Et sine dubio non prohibetur in decalogo omnis imago, sed solum illa, quæ dici potest idolum, id est, imago, quæ habetur pro Deo, vel quæ repræsentat tanquam Deum eam rem, quæ non est Deus. Cum enim dicitur: *Non habebis Deos alienos*, prohibetur actus interior idololatriæ. cum autem additur: *Non facies tibi sculptile, &c.* Prohibetur actus exterior. Vide Augustinum quæst. 71. in Exodum.

Probatur hæc sententia PRIMVM, quia si prohiberetur omnis imago, sequeretur præcepta decalogi non esse tantum decem

decem, sed vndecim, vel duodecim contra Scripturam, quæ dicit esse decem, Exod. 31. & 34. Deut. 4. 9. & 10. nam constat vnum præceptum esse: *Non habebis Deos alienos.* Alterum, non assumes nomen Dei inuani. III. Sabbatha sanctifices. IV. Honora parentes. V. Non occides. VI. Non mœchaberis. VII. Non furaberis. VIII. Non dices falsum testimonium. IX. Non concupisces. ista nouem sine controuersia sunt distincta.

Porro illud: *Non concupisces*, vel debet diuidi in duos nonum sit, non concupisces vxorem alienam; decimum, non concupisces rem alienam; vel ista omnia ad vnum pertinent. Si debet diuidi in duo, ergo illud: *Non facies tibi sculptile*, perit vndecimum, vel oportet dicere, illud non esse præceptum distinctum à primo, vt reuera dicunt Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. Augustinus quæst. 71. in Exod. & epist. 119. cap. 1. & cõmuniter Scholastici 3. sent. dist. 37. & Catechismi omnes Latini. Et tunc non prohibetur sculptile quodcunque, sed solum sculptile, quod habetur pro Deo alieno.

Si autem, *Non concupisces*, est vnum tantum, vt existimant Philo in libro de decalogo ante medium, Iosephus lib. 4. antiquit. cap. 6. & 8. Origenes homilia 8. in Exod. Ambrosius & Hieronymus in cap. 6. ad Ephes. Procopius, & Rupertus in cap. 20. Exodi: Tunc illa omnia verba erunt vnum præceptum *Non facies tibi sculptile, &c. Et non adorabis ea, neque colas.* sed facere imagines absolute, & adorare easdem, sunt res distinctæ, vt patet; quia potest vnus adorare sculptile, quod non fecit, & alius nõ adorare, quod fecit. Ergo vnum tantum verbum est prohibitum, alioqui essent vndecim præcepta: Sed certum est, prohiberi cultum, ergo non prohibetur fabricatio per se, sed solum in ordine ad cultum. Proinde peccat, qui facit, vt adoret, non qui facit ad alium vsum.

SECUNDO probatur, lege diuina non prohiberi imagines absolute, ex eo, quod in ipsa Scriptura legimus imagines factas Dei iussu. siquidem Exodi 25. Deus fieri iussit imagines Cherubin super arcam. Num. 21. serpentem æneum. 3. Reg. 6. & 7. Cherubin, boues, leones, & alia. RESPONDENT Iudæi Deum præcepisse hominibus, non autem sibi ipsi. Porro imagines templi ipsum iussisse fieri, sicut prohibuit furtum, & homicidium ipse iussit, vt Iudæi spoliarent Ægyptum, Exod. 12.

At contrà. PRIMO, præcepta decalogi sunt explicationes iuris naturæ, excepto illo de Sabbatho: res autem prohibitæ iure naturæ, sunt prohibitæ, quia malæ; non malæ, quia prohibitæ, & proinde nec à Deo præcipi possunt, nec iussit unquam Deus furtum, sed donavit vt Dominus, Iudæis bona Ægyptiorum. DEINDE, si imagines essent prohibitæ, certè propter periculum idololatriæ: at idem est periculum, si Deus iubeat eas fieri, immò eo maius, quo illæ habentur diuiniore, sicut accidit de serpente æneo 4. Reg. 18. non ergo prohibuit Deus imagines absolutè.

Probatur TERTIO, quia nunquam intelligitur prohibitum id quod nullo modo aduersatur fini legis: finis autè præceptorum primæ tabulæ est, vt seruetur Deo suus honor illibatus, vt patet ex initio decalogi: *Ego sum Dominus Deus tuus.* Item ex illa comminatione: *Ego sum Deus zelotes.* Item ex illa explicatione Exodi 20. *Non facietis mecum Deos aureos, & Deos argenteos.* Item ex Leuit. 26. *Non facietis sculpsile, & idolum, sit adoretis.* Denique ex illo Isaia 42. *Ego Dominus gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculpsilibus.* At imago non facta ad venerationem, non aduersatur honori Dei: Non igitur est prohibita.

DICES; Imago est occasio idololatriæ. Respondeo, etiam Sol, & Luna, & alia multa sunt talia; sed per accidens.

QUARTO, ars pingendi, & sculpendi bona est, & à Deo, vt patet Exodi 31. & 35. vbi dicitur, Deus dedisse duobus viris Beseleel, & Ooliab spiritum suum, sapientiam, & scientiam ad sculpendum, & excogitandum multa pro ornatu tabernaculi.

QUINTO, Deus primus auctor est omnium imaginum, naturalium, & artificialium. nã genuit Filium ad imaginem suam; & formavit hominem ad imaginem suam.

SEXTO, imago est secundum naturam, & necessaria; nam imprimis omnia naturalia producunt aliquid sibi simile, id est, imaginem sui. Homo quidquid cognoscit siue sensu, siue intellectu, per imagines cognoscit. Non possumus in lumine versari, quin corpora nostra umbram efficiant, quæ imago est corporis. Vestes omnes imagines sunt eorum membrorum, ad quæ regenda factæ sunt.

M M M m m m

Deni-

Denique Iudæi tempore Christi habebant imaginem Cæsaris in nummis, vt patet Matth. 22. & nunc etiam retinent imagines Principum in pecuniis; cur ergo dicunt, non licere vllam imaginem habere? Certè si quis eis eripere veller imagines, quas in nummis, & aulæis habent, continuò mutarent sententiam.

SECUNDA opinio est Ambrosij CATHARINI in opusculo de imaginibus, vbi docet, Deum in decalogo prohibuisse imagines simpliciter: sed illud præceptum fuisse positum, & temporale; nam propterea existimat ipse Deum iussisse imagines Cherubin, vt indicaret, imagines non esse malas per se, sed solùm malas, quia prohibitas: & etiam ne præiudicaretur Testamento nouo, in quo permittendæ erant imagines.

Sed hæc opinio nobis non probatur, tum propter argumenta facta contra Iudæos, tum etiam, quia S. Irenæus lib. 4. cap. 31. & 32. disertè docet, decalogum esse legem naturalem, excepto præcepto de Sabbatho. & Tertullianus libro de idolatria toto contendit, nunc maximè obseruandum hoc præceptum, idem docet B. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum, cap. 59. & de exhortatione martyrij, cap. 1. B. Augustinus passim affirmat totum decalogum, excepta lege de Sabbatho, à Christianis seruandum, & nominatim illud: *Non facies tibi simulacrum*. Vide lib. 15. contra Faustum, cap. 4. & 7. & lib. 19. cap. 18. lib. 3. contra 2. epist. Pelagian. cap. 4. Idem habet beatus Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 1. & 4. Ergo si in decalogo prohiberentur omnes imagines, peccarent Christiani habentes imagines.

DICES, in decalogo præceptum Sabbathi est positum saltem ex parte; ergo nihil prohibet, quò minus etiam præceptum de imaginibus sit ex parte positum. RESPONDEO, in præcepto Sabbathi posita esse multa, quæ indicent, illud esse positum. nam PRIMO, præmittitur, *Memento*, quia mirum cùm non sit naturale præceptum, poterant illius facile Iudæi obliuisci. SECUNDO, additur ratio præcepti: *Quia Dominus quieuit ab opere die septimo*. nõ autem additur ratio vlli alteri præcepto, quia cetera sunt simpliciter naturalia. Denique Irenæus, Augustinus, & Thomas disertè solùm Sabbathum excipiunt à naturalibus præceptis decalogi.

TERTIA

TERTIA opinio est Thomæ CAIETANI in cap. 20. Exodi, qui docet, non esse prohibitum facere ullam imaginem, vel idolum, sed solum prohibitum esse, ne quis faciat tibi imaginem, quam habere velit pro Deo suo. & probat, quia non est dictum: *Non facies sculpsile: sed, non facies tibi sculpsile.*

Hæc sententia displicet solum in modo loquendi; nam Caietanus pro eodem habet idolum, & imaginem, cum falsum sit, ut supra ostendimus. Deinde videtur concedere licere facere idola, quæ habeantur pro Diis, modò non habeat pro Diis ille qui faciat. At Tertullianus toto libro de idololatria probat evidentissimis rationibus, prohibitum esse Christianis pictoribus, aut statuariis facere idola Gentilibus. Et Ecclesia celebrat VIII. Nouembris martyrium sanctorum Claudij, Nicostrati, & sociorum, qui necati sunt, quia noluerunt simulacra Gentilibus facere, cum essent peritissimi statuarii.

Neque Caietanus hoc negaret, quippe qui in 2. 2. quæst. 10. art. 4. docet, non licere vendere idola Gentilibus, idè incaute loquutus est in commentario Exodi. Nec obstat illa particula, tibi; nam secundum Hebraicam phrasim redundat. Sicut Genes. 12. *Vade tibi de terra tua.* & in Canticis canticorum passim.

CAPVT VIII.

Non esse prohibitas imagines Dei.

QUARTA opinio est CALVINI, lib. 5. Instit. cap. 11. ubi dicit PRIMO, nefas esse Deo inuisibili & incorporeo imaginem visibilem, & corpoream collocare: SECUNDO, imagines Christi, & Sanctorum non esse prohibitas simpliciter, sed non debere poni in templis. TERTIO, historias depictas habere aliquem usum ad instruendum; imagines autem solas Christi, vel Sanctorum sine vlla notatione rerum gestarum nullum habere usum, nisi ad oblectandum, & idè frustra fieri.

Vt ergo incipiamus à primo capite, probat Calvinus non posse pingi imaginem Dei. PRIMO, quia Exodi 20. prohibe-